.524.
I·18

Michaël Mekelburg.

M. IX. 18

DISSERTATIO MEDICA
De
OPIO,
Quam
Divini Numinis Auſpicio,
Conſenſu Amplisſimi Aſclepiadei Ordinis,
In celeberrimo Prutenorum Lycæo.
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Excellentiſſimi, Experientiſſimi atq; Præ-Clariſſimi
DN. DANIELIS BECKHERI,
Med. D. ejusdemq; Facultatis Senioris graviſſimi ac Profeſſoris Primarii, Sereniſſimi Elect. Brandenb. & Cneiphoviæ Regiomontanæ Medici Ordinarii, Lycæi hujus p.t. Rectoris Magnifici:
Dn. Præceptoris ac Patroni gratioſiſſimi.
Publicæ ac Placidæ Philiatrorum συζητήσει
In Acroaterio Majori d. Jan. 1652.
ſubmittit
GEORGIUS Seger/ Thorun.
Auth. & Reſp.

REGIOMONTI,
Typis JOHANNIS REUSNERI,

Magnifico, Spectabili,
Excellentissimis, Experientissimis ac Præ-Clarissimis
VIRIS,

DN. DANIELI BECKHERO, Med. D. & Prof. Primario, ejusdemq; facultatis Seniori longè meritissimo, Serenisſ. Elect. Brandenb. & Cniphoviæ Regiomont. Medico Ordinario p. t. Rectori Magnifico.

DN. CHRISTOPHORO TINCTORIO, Phil. & Med. D. Sereniſſ. Elect. Brandenb. Aulæ Prutenicæ Archiatro, & artis Medicæ in hac Acad. Prof. P.

DN. JOHANNI LÖSELIO, Phil. & Med. D. ejusdemq; Prof. P. p. t. Decano Spectabili.

DN. GEORGIO LOTHO, Phil. & Med. D. Facultatis Medicæ Adjuncto, ejusdemq; Prof. P. Extraordinario.

DN. JOHANNI GEORGIO STRASBURG, Med. D. & Prof. P. Extraordinario.

DN. M. ALBERTO LINEMANNO, Mathematum Prof. P.

DN. M. VALENTINO THILONI, Eloquentiæ Prof. P.

Dnnnnnnn. Patronis, Praeceptoribus & Promotoribus suis, nullo non obsequii ac submissionis observantiâ devenerandis, in animi beneficiorum hactenus in se uberrimè collatorum memoris perpetuum monumentum, ac ulterioris promotionis incitamentum, dissertationem hanc Medicam Strenæ loco, cum voto cunctæ prosperitatis,

humillime offert, dicat

Georgius Seger/ A. & R.

Σὺν Θεῷ.

Quam præstans sit medicamentum Laudanum Opiatum, (sive Opium præparatum) eis, qui egregias ipsius operationes aliquando viderunt, notum est; inquit Wilhelm. Fabr. Hildanus in respons. ad Epist. Dœringii de Hernia Uterina p. 915. *Et verissimè. Testatur enim id affatìm tam experientia quam scripta Clarissimorum Virorum, quibus Opium est instar gladii acutissimi, quo varij generis morbos atrocissimos strenuè aggrediuntur, profligant, imò planè jugulant. Hinc &* Platerus *affirmare non dubitavit, quod si quis Opium ex usu medico proscribat, vix quicquam laude & commendatione dignum in praxi suâ præstiturum esse.* Zwingerus, *cum ejus virtutem & salutarem operam expertus esset, id Nepenthes nomine condecorare compulsus est; teste* Freitag. tract. de Opio c. 6. p. 61. & c. 9. p. 84. Bontii *etiam* de medic. Indorum p. 9. *hæc leguntur verba: Certe laudes hujus succi è Papavere expressi si vellem referre, viderer Chymicis velle suum honorem præripere, Hoc saltem dico, si nobis hic de Opio ac Opiatis non esset prospectum, frustra in calidissimis his regionibus medicinam faceremus Dysenteriæ, Cholera, Febribus ardentibus, ac reliquis biliosis affectibus orgasmo turgentibus. Quæ cum ita sint, nemo sane mihi vitio vertet, si paulò accuratius & quantum tenuitas ingenij mei permissura est, in ejus naturam inquisivero. Id quod sequentibus præstare conor positionibus. Sit Ergò*

POSITIO I.

Opium dicitur ἀπὸ τοῦ ὄπου, *quod succum denotat.*

Bontius de medicina Indor. p. 10. in animadvers. ad

Gar-

Garciæ c. 4. *putat, Græcos vocabulum Opium à vetustissimo populo (Indos intellige) derivasse, cum ab omni memoria Indi eo usi sint.*

II.

Ὀπὸς *vocabulum ab autoribus sumitur nonnunquam Generaliter pro omni omninò Succo lacteo; nonnunquam specialiter & κατ᾽ ἐξοχὴν vel ab antiquioribus & Hippocrate, tàm pro succo Cyrenâico sive silphij, quàm pro Lacte Fici.* vide Johannis Bodæi notas ad l. 6. Theophrasti de historia Plantarum c. 3. p. 591. *Vel à Galeno & recentioribus pro Liquore Papaveris tantum.*

Papaveris succus recepto à Medicis more privatìm Opium appellatur, cum nullus aliorum succorum, quantumvis multi sint, in neutro genere, Opium videlicet, nominetur. Inquit Gal. de compos. Pharmac. secund. locos. L. 9. c. 4. p. 405.

III.

Dicitur Indis Affion & Amphion. Bont. de medic. Ind. pag. 10. animadvers. ad Garciæ c. 4. *Vt & Amfiam.* Scal. exerc. 175. sect. 1. p. 54. *Ægyptiis Affion.* Prosper Alpin. de medic. Ægypt. l. 4. c. 1. p. 117. *Lusitanis corrupto nomine Amfiam, & Mauritanis, quos Indi secuti sunt, Ofium, deducto à Græcorum Opio nomine.* Garcias ab Horto l. 1. arom. & simpl. in India nascent. c. 4. p. 21. *Illud verò quod è Cairo adfertur Meseri vocant;* Garcias ab horto L. cit. *Meseri autem & contractè Misri Ægyptus Indis est.*

IV. De-

IV.

Definitur, quod sit Liquor nigri Papaveris, ex incisa capitum exteriore membrana exstillans, cum caliditate & siccitate venenatam ac narcoticam qualitatem obtinens.

§. 1. *Nota, me in tota hac dissertatione, dum Opium voco, semper veterum illud & Verum intelligere. Quod sanè Liquor est, non succus, non lacryma: Nam, incisâ & vulneratâ plantâ demum profluit, non vero contusione & quassatione ex ea elicitur, ut succus, neq; etiam sua sponte ex ea promanat, ut lacryma. Et licet alii (ut ex* Bontii *loco in proëmio citato patet) imprimis verò Veteres, distinctionem hanc inter* τὸ δάκρυον, χυλὸν καὶ ὀπὸν *non observent, tamen, ut recte monet* Joh. Bodæus in Notis ad l. 1. Theophr. Eresii de hist. Plant. c. 1. p. m. 965. *tria hæc distinguenda sunt.*

§. 2. *Porrò,* Liquor *est Nigri Papaveris omne verum antiquorum Opium, nec unquam ex semine lactucæ agrestis fit, ut vult* Avicenna, l. 2. Canonis tract. 2. c. 526. p. m 278.

§. 3. *Deniq; ex incisa capitum exteriore membrana exstillat: Papaveris scil. Capita jam formata & deflorescentia, leviter inciduntur, atq; ex vulnere emanans liquor, antequam colligatur, parumper inspissari sinitur. Veterum colligendi modum vide apud* Diosc. *Turcarum, apud* Bellonium l. 3. observ. memorab. c. 15. p. m. 178.

V.

Differt igitur 1. *ab illo Opio, quod hodie ad nos defertur, hoc enim ex albo non verò nigro Papavere parari testantur* Garcias ab Horto l. cit. Bellonius l. 3. observ. c. 15. p. m. 179. *cum in tota Cambaja &*

 aliis

aliis regionibus, unde ad nos hodie defertur, nullum nigrum reperiatur Papaver. Garcias ab Horto. l. 1. histor. arom. c. 4. p. m. 22.

VI.

Differt 2. *à Meconio, quod non proprie sic dictus Liquor est, sed Succus sive Chylus, ex capitibus Papaveris arte expressus.*

VII.

Differt deniq; 3. *à Turcarum Maslach, quod cum* Winklero l. 2. de Opio sect. 2. c. 1. artic. 7. *potius compositum quid ex Opio quam Opium purum esse, facile concedo.*

Bellonius lib. cit. c. 15. p. m. 179. Weckerus l. 1. antidot. Spec. c. 16. p. m. 273. *& alii plurimi Opium Turcarum Maslach esse dicunt; Quos tamen egregiè refutat* Winckl. Loco cit. *Nam; si qui Opium quotidie devorant, ad omnia animi officia inhabiles redduntur, quomodo ejus usus militibus conveniet? Porrò. Si Maslach, quod Turcæ secundum Quercet. in ipso certaminis procinctu dosi auctâ devorant, nihil aliud quam Opium esset? cum assumtionem Opii sequatur sopor, male certe pugnarent milites somnolenti. Vid. fusius hac de re disserentem* Winck. L. cit. *opium tamen semper secum ferre Turcas facilè concedo, non verò animositatis comparandæ gratia, sed potius ad animi tranquillitatem & jucunda somnia conciliandа, cum eo asveti sint, non aliter ac nostro tempore milites Nicotianæ.*

VIII.

Eligitur grave, densum, gustu amarum & calidum, odoratu soporiferum, fauces incendens, in massam

sam

sam veluti ex granulis diversi coloris coactum, quod, cum frangitur, splendore quodam nitet, quod facile dissolvitur, sed non ceræ instar lentescens, quod admotum Lucernis non atrâ lucet flammâ, extinctum deniq; odoris vim conservat.

IX.

Reiicitur verò ſecundum Dioſc. L. 4. c. 60. aut juxta alios c. 63. vel c. 65. *Illud quod* 1. *in dilutione Croci colorem reddit, id enim Glaucio fucatum est.* 2. *Illud, quod exiliter spirat & asperius spectatur, id enim Lactucaceo succo fictum est.* 3. *Illud quod splendescit & infirmum est, id enim Gummi vitiatum est.*

X.

Ast, notas has Dioscoridis facile fallere luculenter satis domonstravit Winkl. tr. de Opio L. 1. c. 4. p. m. 18. *ubi sequentes proponit rationes.* 1. *Opium Cambajanum etiam croceum in dissolvendo de se effundit colorem,* teſte Garcia ab Horto L. cit. *ubi tamen Glaucium non reperitur.*

XI.

2. *Inconveniens collectio, negligens repositio, ipsaq; vetustas etiam in causa esse possunt, quo minus fortiter spiret. Asperitas verò etiam genuino contingere potest, ob involutionem quæ fit in foliis.*

XII.

3. *Cum inter notas non adulterati à Dioscoride lævi-*

lævitas numeretur, splendor autem lævitatis assiduus comes sit, potest etiam genuinum nonnihil splendescere, modo splendor non sit nimius & transparens.

XIII.

Laudatur hodie à plerisq; Thebaicum. Senn. nat. sc. m. p. 525. Winkl. tr. de Opio L. 1. c. 4. p. m. 15. Hartm. in. Croll. p. m. 313. *cui tamen etiam Cambajanum comparat* Hartm. l. c.

Garcias ab Horto L. 1. hist. arom. & simpl. in India nascent. c. 4. p. 22. *existimat, Opium illud quod è Cairo adfertur, & albicat, ac magni est pretii, id esse, quod nos Thebaicum dicimus.*

XIV.

Qualitates Opii quod attinet, reperiuntur in eo partìm Manifestæ, partìm Occultæ.

XV.

Manifestæ sunt, Siccitas in secundo, & Caliditas in tertio gradu.

§. 1. *In Opii manifesta qualitate constituenda tres potissimum reperiuntur Clarissimorum Virorum dissentientes sententiæ. Alii enim cum veneranda antiquitate ei quartum frigiditatis gradum attribuunt: Alii verò diversas ei adscribunt partes ac qualitates, & frigidum in quarto, calidum verò in tertio gradu statuunt: Alii deniq; eum Neotericis frigiditatem ejus plane negant, & insignem ei Caliditatem largiuntur.*

§. 2. *Ego posteriorem sententiam tanquam certissimam amplectens, ut veritas ejus eò facilius demonstrari possit, sequentes primum fundamenti loco pono Assertiones:*

1. Omnia facile inflammabilia sunt calida, sive calor eorum

rum sit vehemens sive debilis. *Dico facile; Progressu enim temporis etiam frigidissima inflammari posse non nego. Hanc assertionem* Freitag. *quidem* tract. de Opio c. 3. p. m. 23. *impugnare conatur, dum ex* Scal. Exerc. 104. s. 8. *exemplo Camphoræ, quam frigidam cum eo dicit, probat, non omne id, quod facile ignem recipit vel admittit, protinus calidum esse. Verum, cum de Camphoræ frigiditate jure dubitem, facile etiã cadit hæc objectio. Ego contra pro veritate meæ assertionis sic argumentor:*

Quicquid multas sulphureas in se continet partes, calidum est.
Omne facile inflãmabile multas sulphureas in se cõtinet partes. E.
Major per se clara, ut & minor, sulphur enim frigidum esse & difficile inflammari quis unquam dixerit? Deinde; Assero quidem, omne facile inflammabile esse calidum, sed non contra, omne calidum esse facile inflammabile. Quis n. dixerit (verba sunt Scal. L. cit. p. m. 372.) *calidissima quæq; facilime ardere? Deniq;, Concludo quidem, omne facile inflammabile esse calidum, sed non contra, omne non facile inflammabile esse frigidũ. Latius enim patet caliditas quam inflammatio, ut loquitur* Winkl. tract. de Opio L. 2. s. 2. c. 1. art. 1.

2. Omnia Graveolentia sunt calida. *Consentit* Gal. *dum* L. 4. de simpl. med. fac. c. 23. p. m. 62. *inquit; Quæ odorata sunt, tenuia utiq; sunt quadantenus & calida. Et sane verissimè: In iis enim plurimum sulphuris hæret, quo sublato omnis omninò tollitur odor. Nam, 🜍 primum est odorabile, & reliqua omnia talia sunt propter* 🜍. Senn. de cons. & diss. c. 11. p. m. 183.

3. Omnia Amara sunt calida. *Id quod cum universa fere medicorum & philosophorum turba,* Gal. *etiam expresse* L. 4. de simpl. med. fac. c. 7. p. m. 53. *docet. Et quidem optime; Rationes namq; quas contra obiicit* Averroës L. 5. coll. c. 27. *& ex eo* Valleriola L. 1. enarrat. c. 4. *nihil evincunt. Male*

enim non omne amarū calidum esse probare conantur exemplo Cineris, Opij & Cicutæ, cū neq; ea frigida esse credendū sit: Cichorii porrò & Intybi nam neq; hæc, licet refrigerēt frigida esse volo, refrigerāt n. non per se, sed per accidens, amaritudine nimirū aperiendo, & bilem ex epate abstergendo: Fructuum deniq; quorundam, qui, dum immaturi adhuc, amari sunt, maturati verò, ubi scil. calor nativus augetur, dulcescunt. Sed, neque omnes fructus immaturi amari maturati dulcescunt, neq; dum immaturi amari sunt, ex se & sua natura amari dicendi, cum amarorem illum ab inhærentibus adhuc partibus excrementitiis ijs largitum credem, qui, his concoctione absumtis, simul evanescit. Franc. Vallesii *de hac assertione sententiam vide* L. 9. Controverf. c. 5. p. m. 373.

4. Omnia inflammationem & erosionem excitantia sunt calida. *Vis enim inflammans & corrodens à sale amaro provenit, quem meritò calidum pronunccio.*

5. Omnia sitim causantia sunt calida. Gal. L. 1. de simpl. med. fac. c. 30. p. m. 14. *sitim duplici ratione provenire docet, partim humoris inopiâ, partim caloris copiâ. Has duas causas* Cl. Senn. Instit. p. m. 352. *in unam contrahit, omnesq; sitis causas ad siccitatem sive humoris inopiam reducit. Et meritò, cum sola siccitas in ore ventriculi ad sitis generationem sufficiat, quæ tamen non aliunde oritur, quam ab exsiccantibus, & humiditatem ventriculi nativam absumentibus, consentiente* Gal. L. 1. de symtom. causis c. 7. *Quæ calida esse, quis unquam negabit?*

6. Omnia venerem stimulantia sunt calida. *Frigidis namq; calorem nativum partium spermaticarum obtundi, spiritusq; torpidiores reddi, imò ipsam deniq; sterilitatem induci, planum est.*

7. Omnia Pruritum excitantia sunt calida. *Mordacia namq; sunt, salsa & acria.*

Omnia

8. Omnia citò perspirabilia sunt calida. *Addo citò, cum & frigida aliquando perspirare non negem.*

9. Omnia sudorem moventia sunt vel calida vel occulta qualitate agentia. *Consentit* Cl. Senn. Instit. p. m. 964. *Sudorem provocantia, inquit, calida sunt ac tenuis substantiæ. Calor enim, cum tenui substantia conjunctus, in penitiores corporis partes penetrat, & humores incidit, attenuat, rarefacit, in halitum convertit, & quicquid obvium est, secum defert, & in summa corporis impellit; Aut, si quæ inter ea sunt frigida, vel etiam adstringentia, occulta qualitate, qua venenis resistunt, malignos humores ad ambitum corporis pellunt. Hæc ille.*

10. Omnia emollientia sunt calida. *Cum, ut habet* Gal. L. 5. de. simpl. med. facult. c. 5. p. m. 65. *variè quidq; durius efficiatur, nempe, aut siccescens, aut concrescens, aut nimia repletione, adeò, ut vehementer distendatur, aut conjugatione quapiam: Hic tantum de iis, quæ quia concreta & congelata sunt, dura nominantur, quorum emollientia Græcis* Μαλακτικὰ *dicuntur, loquor. Hæc calida sunt, & medium quodammodo ordinem inter humectantia & siccantia sortiuntur, ut loquitur* Gal. de compos. medic. per genera L. 3. c. 1. p. m. 529. Idem *docet* L. 6. de simpl. med. fac. c. 8. p. m. 67. & c. 9. p. m. 69. *Sicut econtra* Σκληρωτικὰ *sive Indurantia frigida & humida, ut* idem *vult* L. 5. de simpl. med. fac. cap. 10. p. m. 69.

§. 3. *His præsuppositis sic argumentor: Quicquid (1.) facile inflammatur, (2.) odorem habet gravem, (3.) Amarum est, (4.) Labia inflammat ac erodit, (5.) Sitim causat, (6.) Venerem stimulat, (7.) Pruritum excitat, (8.) Citò perspirat, (9.) Sudorem movet,* & *(10.) Dura emollit; Calidum est:*

Opium verum facile inflammatur &c. E. *Major ex supra dictis*

dictis elucescit. Minor itidem probatione non indiget, nam omnia hæc Opij effecta satis sunt manifesta. Unicum tantum addo; Licet Garcias ab Horto L. 1. arom. & simpl. in India nasc. c. 4. p. m. 22. *exemplis nonnullorum Lusitanorum probare conetur, Opium Venerem non stimulare, sed potius sterilitatem inducere, cum illi, ut* Garcias *vult, esu Opij steriles & impotentes effecti sint, ego tamen non ab Opij sed potius Veneris nimio usu id contigisse credo. Ab opio quoq; externe applicato tandem calorem nativum omnium partium, & hinc etiam spermaticarum, extingui concedo, non autem propter frigus, sed propter vim specificam. Et hæc hac vice de Opii caliditate dicta sunt.*

§. 4. *Aggredior jam sententias contrarias, quarum prima, ut supra dictum, solam Opii frigiditatem defendit. Media ejus, brevitati studens, sequenti includo Syllogismo:*

Si Opium (1) in moribundis frigidum anhelitum excitat, (2) Sanguinem circa cor & in cerebri ventriculis instar glaciei coagulat, (3) Stupefacit & Soporem inducit, (4) Calidis tantum corrigitur, Et (5) dum assumendum est calidissime propinatur, certe frigidum erit non calidum:

Sed verum prius, E. & posterius.

Priores duæ rationes probantur testimoniis. Et quidem prima testimonio Nicandri & Aëtij, qui anhelitus ex opio assumto moribundorum frigidos fuisse scribunt. Secunda, Curæi L. de sens. & sensibil. qui sangvinem in nonnullis Opio extinctis, non solùm circa Cor conglaciatum, sed & in cerebri ventriculis instar glaciei congelatum observavit. Posteriores verò tres, tanquam per se claræ, nulla probatione indigent.

§. 5. *Ego, ut falsitas hujus sententiæ pateat, simili ordine nullitatem harum rationum ostendam. Et quidem 1. Anhelitus ille frigidus non ab Opio óritur, sed potius signum est extincti*

inna-

innati calidi, commune omnibus moribundis. 2. Sanguinem circa cor & in ventriculis Cerebri conglaciatum inventum esse vix credo, cum impossibile sit, etiam in frigidissimo corpore humano adhuc vivo tantum regnare frigus, ut glaciem generet. Sanguinem autem quendam crassum vel concretum fuisse si quis dixerit, cum eo non disputabo, modo crassitiem & concretionem ejus non frigiditati sed potius narcosi adscribat. 3. Stuporem, Soporem, & 4. Correctionem per calida, frigiditatem opij non adstruere, paulò post patebit. 5. deniq;, calidissime propinatur Opium, non ut frigiditas ejus retundatur, sed quod sopitam facultatem caloremq; nativum excitet; ut loquitur Barthol. Exerc. Philosoph. Medic. 7. probl. 2.

§. 6. *Sequitur jam sententia eorum, qui tot effectis caliditatem contestantibus victi, ne tamen ab antiquis plane recedere videantur, quarto gradui frigiditatis tertium quoq; gradum caliditatis addiderunt, atq; ita diversas in Opio partes constituerunt. Primus eorum videtur esse* Capivaccius, *quem pleriq; alij secuti sunt, inter quos imprimis hic nominandus venit* Freitagius, *qui* in tractatu suo de Opio *sententiam Neotericorum mirum quantum exagitat. Hic igitur, ne & ipse novitatis alicujus argueretur, quod caliditatem frigiditati, quam solam antiqui crediderunt, adjunxerit, eosdem quoq; idem docuisse scribit. Causam verò ob quam nulla in eorum scriptis reperiatur mentio* c. 3. p. m. 22. *tradit, dum inquit: Quia majus à frigore & torpore periculum, veteres qualitatis, quæ summopere prodesse queat, dum rite & recte adhibeatur, videlicet frigiditatis, duntaxat mentionem fecerunt. Verum, quia hæc nullis rationibus probat, ei subscribere jam non possumus, sed potius credimus, Veteres ideò tantùm frigiditatis mentionem fecisse, quia Opium tantum frigidum esse voluerunt.*

§. 7. *Jam ad sententiam ipsam. Dicunt hi diversarum*

partium propugnatores, Opium tantum in parte externa & superficiali amaritudinem habere, ratione cujus calefaciat, licet alias sit frigidißimum. His addit Freit. tr. de Op. c. 3. p. m. 21. *quod in corpus demersum facilius in actum deducatur juxta partes calidiores & tenuiores & spirituosas, unde initio spirituum animalium agitationes & dementiæ, & audaciæ, & impetus &c. ipsâ verò frigidiore ejusdem substantiâ ad operationem veniente, quod serius, propter craßitiem in qua hæret, & frigus aliquandiu naturæ reluctans, contingit, subsequuntur algor totius &c. Tandem* p. m. 22. & 23. *subjungit: Diversas verò in Opio partes, & in ijs calidiores primam suam exercere operationem, deinde frigidiores, & ab his noxam imprimi graviorem, liquet ex Prospero Alpino & Bellonio, qui tradunt, Ægyptios & Turcas vesci opio ad comparandam alacritatem, tamen & functiones eorum deteriores reddi, eosq́ ebrios ac torpidos apparere, fieri comatosos, stupidos, inconstantes &c.*

§. 8. *Verum enim vero, nunquam in Opio istam partium diversitatem monstrare poterunt nec potuerunt, ut loquitur* Senn. in paralip. 4. ad. L. 6. pr. p. 168. *Opium enim tantum in superficie amarum asserere contrariatur experientiæ. Imò, non videntur duo hæc* (verba sunt Vallesii L. 9. Controv. c. 5. p. m. 374.) *simul posse vere dici, amarum saporem esse in calido, & medicamentum aliquod frigidum amarum se gustui exhibere: Diversæ verò actiones proveniunt quidem à qualitatibus diversis, non tamen ijs, de quibus loquitur* Freitag. *Algor namq́ totius, sopor, stupor &c. non à frigiditate, ut quidem ille vult, sed potius occulta provenit vj. Turcæ deniq́, ut habet* Winckl. tr. de Opio L. 2. s. 2. c. 3. p. m. 164. *& Ægyptij ab una eademque causa feroces & postmodum calidi redduntur, quia immodico usu Opij calidum nativum Cerebri imminuitur, & vitiosè disponitur.*

Ego

§.9. *Ego contra Negativam meam firmo sequentibus mediis. 1. quia impoßibile est ut in uno eodemq; subjecto summa frigiditas cum insigni caliditate reperiatur: Consentit* Vallesf. L. 1. Controv. Medic. & Philol. c. 4. *2. quia, licet frigiditas, secundum eorum opinionem, superet caliditatem, nulla tamen illius apparent indicia, hujus quamplurima. 3. quia partes hæ diversæ separari non possunt, quod tamen in Rhabarbaro & aliis diversitate partium claris fit medicamentis.*

Vide plura apud Senn. L. 6. pract. part. 7. c. 1. p. m. 294. Winkl. tr. de Opio L. 2. s. 2. c. 3. p. m. 160. & seqq. Hartm. tr. de opio, & alios.

XVI.

Occultæ Qualitates sunt Narcosis & Venenositas.

§. 1. *Circa causam Narcoseos Opii constituendam duæ imprimis vigent autorum Opiniones. Alii enim vim suam narcoticam à frigore habere contendunt; Alii ab occulta qualitate, cum partibus tamen calidis & sulphureis conjuncta, eam provenire docent.*

§. 2. *Agmen illorum hoc tempore ducit* Freitag. *qui in* tract. suo de Opio *multis probare conatur, Opium stuporem, torporem & soporem manifestâ inferre vi, & quidem frigida, non verò calida; media ejus hæc sunt. 1. quia calida somnum producunt, non quatenus calida sunt, sed prout vaporum multitudine cerebri porositates replent, viasq; obruunt, & humores in cerebro liquant ac fundunt.* c. 2. p. m. 14. *2. quia calidiora tantum pituitosis naturis somnos conciliant, biliosis, calidis, sicceisq; potius vigilias & spirituum disturbia.* c. 2. p. m. 15. *3. quia certum est, frigus soporem, torporem, immobilitatem, tandemque ipsam caloris extinctionem & mortem inferre.* c. 3. p. m. 25. *Mirabile etiam esse dicit* c. 3. p. m. 24. *quod propugnatores so-*

lius

lius caliditatis in Opio, dum docuerunt, quo pacto calida vaporosa sint soporifera, nihilominus hos affectus non calori soporifero, seu, ut loquuntur, Sulphuris halitui, in quo narcosin omnem ponunt, sed occultæ postea qualitati adscribant, non attendentes, ea, quæ summis primarum qualitatum gradibus & virtutibus armata sunt, etiam in tenui quantitate grandes edere effectus.

§. 3. *Verum, respondetur ad omnia tria ejus media concedendo. Nam 1. Calida eatenus tantum, quatenus vaporum multitudine cerebri porositates replent &c. somnum inducunt, modò vapores hi calidi dicantur, non frigidi. 2. Si moderatum calidorum usum intelligat, facile ei largitur; immoderatum verò eorum usum omnibus omninò hominibus, cujuscunq; etiam illi sint temperamenti, somnum, stuporem, imò etiam ipsam mortem inferre, nemo negabit. Id tamen in pituitosis citius, in biliosis verò, calidis, siccisq; tardius fieri, & ego affirmo. 3. Nec ego nego, frigus soporem, torporem imò etiam mortem ipsam inferre; an verò simili modo Opium hæc omnia præstet, hoc est de quo meritò dubito, adductus sequentibus rationibus. 1. Quia vehementiam frigoris Elementaris tactu sentimus, Opij non item. Et licet* Freit. c. 3. p. m. 25. *sensus & naturam nostram summas elementorum qualitates activas non tolerare, easq; in glacie, nive & aqua, quæ animalia circa terræ superficiem temperatiore utuntur, non inesse scribat, tamen hoc ipso nihil evincit. Nam (1) posito, sensus & naturam nostram summas elementorum qualitates activas tolerare non posse, eas tamen sentiunt ac percipiunt. (2) posito quoq; non concesso; summas elementorum qualitates activas in glacie, nive & aqua non inesse (cum tamen hæc assertio tam experientiæ quam* Galeno *ipso, qui* L. 1. de temperam. c. 9. p. m. 28. *igni aut aquæ ad summum ferventi, tanquam calidissimo, glaciem*

ciem & nivem tanquam frigidissima, opponit, contrarietur) quomodo igitur in Opio, tot partibus calidis constante, inesse poterit. 2. Quia frigus, maximo præcedente dolore, stuporem inducit, minime Opium. 3. Quia frigoris externi vis calefaciendo & torrefaciendo aut imminuitur aut planè aboletur, minimè Opij. Neq; est quod miretur Freitag. Propugnatores solius caliditatis in Opio, licet probent omnia soporifera esse calida, nihilominus tamen facultatem narcoticam, non calori adscribere soporifero. Non enim ideò medicamenta hypnotica calida esse probant, ut vim hanc à calore pendere demonstrent, sed potius ut constet, vim illam non dependere à frigore.

Ex his igitur quæ dicta sunt satis superq; patet, male sentire eos, qui vim narcoticam Opij à frigiditate causari docent.

§. 4. Ego econtra secundam tanquam veriorem sententiam sequentibus probo mediis; 1. Quia vis narcotica curatur peculiaribus Alexipharmacis. 2. Quia pauca ejus grana maximum torporem, stuporem, imò etiam ipsam mortem inferre possunt. 3. Quia si à frigore aut calore oreretur hæc vis, omnia in simili gradu frigida aut calida essent narcotica, quod tamen absurdum. Provenit igitur vis narcotica ab occulto quodam principio, inhærente substantia sulphurea. Id quod probat partìm maxima ejus tostio, qua cum Sulphure simul omnem vim soporiferam exhalare constat, partìm Spiritus, arte chymica ex eo eductus, in quo vis illa hæret.

Et hæc sunt quæ de vi Opij narcotica & stupefaciente brevibus dicere placuit, plura qui vult, adeat Senn. L. 6. pract. part. 7. c. 1. p. m. 292. & seqq. Freitag. tract. de Opio c. 3. Winkl. de Opio L. 2. s. 2. c. 2. artic. 4. Erast. disp. de Stupore.

§. 5. Restat jam ut etiam paucis de Venenositate Opij agam. Hanc Freitag. L. Cit. c. 4. p. m. 27. & seqq. & alij prorsus ei denegant, alij, & quidem rectius, tribuunt. Illi senten-

tiam suam firmant sequentibus mediis. 1. quia tantum juxta qualitates apertas nocet. 2. quia tum demum noxium est, cum indecenti quantitate assumitur, wenn man das Maul zu sehr darüber henget / *ut loquitur* Tidic. de Theriaca p. m. 52. *3. quia non continuo, ubi sumtum fuerit, corpus nostrum immutat, sed tum demum, cum actionis & mutationis principium à nobis consequitur, hoc est, à calore nostro, ut actu refrigeret, excitetur, & in actum deducatur. 4. quia incolæ agri Tridentini, ut Matthiol. scribit, affatim placentis ex semine papaveris nigri vescuntur: Quin etiam Austrios & Stiriæ indigenas oleum ex semine papaveris nigri expressum in cibis continuò assumere constat. 5. quia Prosper Alpinus L. 4. de medic. Ægypt. apud Ægyptios, & Bellon. L. 3. memorab. observ. c. 14. apud Turcas Opii manducandi consuetudinem jam dudum invaluisse referunt, Renodeus item & VVeckerus Antidot. Spec. L. 1. sect. 16. ut & Hollerius scriptum reliquit, Guilielmum Rondoletium retulisse, quod viderit Hispanum in magno æstu innoxiè semunciam Opii devorare. Deniq; 6 quia corrigitur ita, ut absq; metu exhiberi possit. Ex his omnibus* Freit. p. m. 32. *concludit, Opium ex se suaq; natura ad venena propriè referri non posse. Ad ultimam tamen Venenorum, quæ impropriè sic nominantur, classem opium pertinere, dicit* p. m 27. *nec magis quam crocus aliaque immodica dosi sumta interimere. Vocat verò ea impropriè venena, quæ, ut habet* c. 2. p. m. 8. *apertarum qualitatum summos gradus possident.*

§. 6. *Verum enim vero, ex hisce ut expediamur, tenendum:*

1. Omne illud venenum esse, quod occultam, malignam & venenatam, & corpori nostro peculiariter & per se noxiam qualitatem obtinet, sive conjunctam habeat aliam aliquam, ob quam in usum medicum trahi possit, sive non

habe-

habeat. *Huc igitur refer narcotica & purgantia omnia, imprimis fortiora.* *Quare, male fecit Freit. dum* c. 1. p. m. 4. *de natura veneni esse scribit, nunquam eò reduci posse, ut cum natura nostra in gratiam redeat.* *Et* p. m. 5. *Venena corpora esse deleteria asserit.* *Jam verò deleteria secundum* Gal. 6. Epid. comment. 6. t. 5. p. m. 386. *Et* de vict. rat. in morbis acut. comment. 2. t. 12. p. m. 237. *ea sunt, quæ nullo unquam tempore neq; ægrotis omnibus neq; valentibus operam ferunt. Item* p. m. 7. Freit. *illa, quæ è venenorum classe in medicamentorum ordinem demigrant, multumq; possunt, si rectè usurpentur, non esse propriè dicta Venena, male dicit.*

2. Non esse de veneni essentia ut hominem mox juguler, sed solùmodo sufficere, si, ut loquitur *Cardanus L. 1. de venen. c. 1.* aptum sit, vehementer nobis nocere occultâ agendi ratione. *Patet id ex Venenis, stoliditatem tantum, insaniam ac fatuitatem causantibus.*

3. Non omne venenum esse cordi inimicum. *Neq; enim ulla causa est, inquit* Cl. Senn. L. 6. pract. part. 5. c. 1. p. m. 223. *quod alia, quæ, licet hominem non statìm interficiant, corporis tamen alicui parti occulta qualitate nocent, inter venena referenda non sint.* *Quare, male fecit* Freit. *dum* c. 1. p m. 5. *omne venenum cordi insidiari docet.*

4. Quædam Venena nonnullos aliquo modo nutrire posse, licet tandem comedentibus exitium afferant. *Notanter dico (1) quædam, nonnulla enim, ut Arsenicum, Auripigmentum &c. plane non nutrire hominem, utpote cum nullas partes alimentosas admixtas habeant, ipse credo.* (2) *Nonnullos. Omnes enim indifferenter ijsdem nutriri posse non facile dixerim, sed tantum eos, quibus quædam innatæ sunt occultæ proprietates, appetitum hunc excitantes.* (3.) *Aliquo modo. Nam neque solis venenis, neq; etiam semper hominem ad satietatem nutriri posse affirmo.* *Male igitur fecit* Freit.

dum c. 4. p. m. 33. & seqq. *multis probare contendit, humanam naturam nunquam sic adsvescere posse Veneno, ut in alimentum demum cedat.* Nam *dum dicit.* 1. *Illa venena, quibus ex continuo usu natura adsvescere debet, potius debilitare eam, mecum sentit.* 2. *Ut qualitatibus apertis & nobis congeneribus sed extra moderationem natura sese adaptare nequit, quomodo iis demum asvescet, quæ planè sunt contraria. Id ego nego; diuturnâ enim, (ut inquit* Winkl. de. opio L. 2. sect. 1. coroll. 1. p. m. 67.) *assumtione tandem aliquo modo cum corpore in gratiam quasi redire quadam possunt adversa.* 3. *plane commentatium esse, temperamentum hominis & calorem nostrum vivificum & humidum radicale posse in talem constitutionem verti, quæ ipsius revera sit & certissima internecio, id ei libenter largior.* 4. *Neq; venenum ipsas bestias venenatas alere, sed ab his in certis partibus detineri & colligi, & easdem ab ipsomet suo veneno interfici, id nego. Nam (1.) nonnulla animalia venenatissimis plantis & animalibus vesci planum est: Unicum tantum jam oppono Serpentem, quem bufonibus vesci, quis inficias ibit? Et (2) non sequitur: Animalia venenata ipsomet suo veneno interficiuntur, E. nullo omnino veneno nutriuntur. Licet enim proprio interficiantur, alieno tamen nutriri testatur modo propositum exemplum.*

5. Nulla dari venena totius corporis calido innato simul & æqualiter inimica, sed tantum certarum quarundam partium. *Illorum enim alterantium, quæ manifestis qualitatibus agunt, proprium est, ut non peculiariter hoc vel illud membrum, sed totum omninò corpus alterent. Et, licet intemperies aliqua uni parti quam alii magis nocere queat, tamen, ut habet* Cl. Senn. L 6. pr. part. 5. c. 2. p.m. 227. *id non facit quatenus venenum.*

6. Nulla dari Venena manifestis tantum qualitatibus

agen-

agentia. *Quia 1. eis non competit natura Venenorum, quæ consistit in eo, ut occulto modo & per se corpus nostrum lædat, hominemq́; in vitæ periculum conjiciendi vim habeat. Et, ut vel cordi vel alicui alij parti sit infestum. 2. Si darentur venena manifestè operantia, omnia in simili gradu constituta essent Venena, quod falsum.*

§. 7. *Et hæc sunt, quæ præmittere placuit. Aggredior jam argumenta contra Venenositatem Opii §. 5. prolata. Et respondetur ad priora tria negando. Nam 1. Opium non tam juxta qualitates apertas quam occultas nocet. 2. In satis parva quantitate, etiam præparatum, maximum damnum inferre, testantur historiæ quamplurimæ. Memini Pharmacopæum quendam inscio medico duobus ægrotantibus ad somnum conciliandum exhibuisse gr. iij. Laudani, ita ut quisq́; gr iß. tantum assumserit, quo ipso præstitit, ut jam æterno fruantur somno. Si verò id Laudanum præstat, in cujus grano uno vix tertia pars Opij jam aliquomodo præparati reperitur, ut ex resolutione compositionis ejusdem cuiq́; videre licet, quid faciet Opium ipsum adhuc crudum? 3. Opium non consequitur à nobis actionis & mutationis principium, sed illud jam ante habet, quod tamen latet, & adeò cito vim suam exerere non potest, ob admistas partes heterogeneas, operationem ejus impedientes, quibus à calore nostro separatis, libere sese postea exerit. Ad quartum argumentum respondetur distinguendo inter semen ac oleum papaveris, & inter Opium. Est enim, ut loquitur* Tidicæus de Theriaca pag. mihi 53. *diversitas partium in una & eadem planta, aliis partibus hoc aliis aliud à natura datum, & in eadem etiam parte, propter partium in ea ad sensum non discretarum diversitatem, aliud tota substantia aliud succus separatus operatur. Hinc fit quod alii tres in papavere constituant partes, Oleosas, Terrestriores & Aquosiores. Adde, quod Opium non fiat ex semine maturo aut albo*

 quale

quale ad emulsiones, placentas & olea conficienda adhibent. Ad 5. Resp. Turcarum Opium non esse verum Opium, sed vel Meconium, vel Opium ex papavere albo confectum, aut, si ex nigro, impurum tamen. Imò, posito non verò concesso, esse omninò verum Opium, non tamen mox sequitur: Turcæ innoxiè Opio vescuntur. E. Opium non est venenatum. Venenis enim asvesieri, imò nutriri posse §. 6. assert. 4. ostensum. Et Turcas non sine insigni alteratione uti opio ex ipso Freit. constat, dum L. cit. c. 3. p. m. 23. scribit, eorum, qui vescuntur Opio, functiones deteriores reddi, eosq; ebrios ac torpidos apparere, fieri comatosos ac stupidos, inconstantes &c. Et c. 4. p. m. 36. inquit: Qui opium edere soliti sunt, torpidi, amentes desidesq; fiunt, nec tamē ita insvescūt, ut gravioribus innoxiè sumendis naturā adaptarint, quinimò, sic comparati sunt, ut vehementioris usurpatione planè & celeriter deficiant, utpotè ab alio jam enervati. Imò, sicut non sequitur, Opiophagi innoxiè vescuntur serpentibus, E. serpentes non sunt venenati: Sic neq; hic sequitur; Turcæ innoxiè Opio vescuntur, E. non est venenatum. Regioni enim, Parentibus, tempori, ætati, imò & consuetudini, ut rectè monet Hipp. Aph. 17. sect. 1. aliquid concedendum est. Simili modo neq; exemplum Hispani illius quicquam concludit, nam, aut Meconium fuit, aut Opium ex albo papavere paratum, aut impurum, aut peculiaris in eo ἰδιοσυγκρασία, aut licet verum & purum assumserit Opium, non tamen concludi potest: Hispanus innoxiè in magno æstu Opij semunciam devoravit E. Opium non est venenatum; A particulari enim ad universale non valet consequentia. Deniq;, 6. ejus argumentum similiter nihil infert, argumentatur: Quæcunq; ita corriguntur ut absq; metu exhiberi poßint, non sunt venena, Opium ita corrigitur, E. Majorem falsam esse constat ex §. 6. assert. 1. Vnicum tantum hic propono Mercurium, quem venenum esse ne-

mo

mo facile negaverit, ex eo tamen utilissima parari medicamenta, sole meridiano clarius apparet.

§. 8. Ego ex se & sua natura Opium venenum esse probo sequenti argumento:

Quicquid (1) à corpore nostro non mutatur, sed illud potius mutat & corrumpit, (2) naturæ nostræ maximè & peculiariter adversatur, (3) in minima dosi symtomata generat gravissima, & morbis venenatis propria, ut imprimis sunt anxietates cordis graves, singultus, respiratio cordis parva &c. (4) non toti corpori indifferenter, sed imprimis cerebro & cordi inimicum est. (5) Etiam externe quocunq; modo adhibitum jugulat, (6) alexipharmacis & bezoardicis impugnatur, Et (7.) etiam correctum ultra gr. 3. vix tutò sumitur, illud venenum est:

Opium hæc omnia præstat. E.

Utraq; præmissa ex iis quæ supra dicta sunt satis superq; clara, ita ut jam ulteriori explicatione non indigeat.

Plura videantur ap. Cl. Senn. L. 6. pr. part. 7. c. 1. Freit. tract. de Opio c. 4. Winkl. tr. de opio L. 2. sect. 1. c. 2. art 2. Hofman. de opio. Dœring. de opio & alios.

XVII.

Præfertur hodie præparatum & correctum, quod & Laudanum vocant, Crudo.

§. 1. Et meritò. Cum enim viderent autores, præter insignem quam habet caliditatem & siccitatem narcosin quoq; & imprimis venenositatem maximas in eo habere vires, atq; ita impedire, quo minus semper optatum absq; metu assequi potuerint finem, hinc unicè in id intenti fuerunt, quomodo excessum hunc corrigere, & sine noxa medicamentum hoc nobilissimum exhibere possint. Id quod etiam felicissimè assecuti sunt, unde Laudana Opiata orta, quæ nihil aliud sunt quam Opium, variis alexipharmacis & alterantibus admistis correctum. Dictum

verò

verò est Laudanum, non ut Sagverius in scholiis ad Troch. Alipt. Mosch. Fernel. p. 259. *vult, quasi Lauda non, quod scil. non sit laudandum, cum ægris perniciem adducat, sed quod Laudatum sit medicamentum, (verba sunt* Hartm. in. Croll. p. m. 309.) *ob insignes scil. effectus ejus & operationes, quas in gravissimis morbis, & atrocissimis sopiendis doloribus magno cum fructu experimur. Hinc* Croll. Basil. Chym. p. m. 314. & Tenzel. exeges. chymiatr. part. 2. p. m. 77. *Laudanum laudabile medicamentum vocant, quod plane suo nomini respondet, si Laudanum dicas.*

§. 2. *Cautio verò hic adhibenda, & licet in omnibus aliis medicamentis Opium crudum adhibendum esse negemus, id tamen in Theriacæ compositione præcipimus, quicquid contra afferant* Quercet. Pharmacop. dogmat. p. 602. Freit. tr. de opio c. 6. p. m. 52. & 53. Barthol. in Exerc. Phil. Medic. 7. probl. 4. *qui plane & prorsus incorrecti opii usum reprobant, etiam in Theriaca. Recto namq; consilio, ut loquitur* Clarissimus Dominus D. Beckherus de Theriaca p. m. 124. *crudum & non præparatum opium Theriacæ admiscetur & admiscendum est, ne frustremur in successu & operatione theriacæ, quod olim accidit Galeno, dum omitteret Opium, ne etiam frustra à veterum sententia recessisse videamur, ne etiam experientiæ per tot secula confirmatæ contradicamus.*

XIIX.

Corrigenda verò venit in Opio Caliditas, Venenositas & Narcosis.

XIX.

Caliditas corrigitur Frigidis, ut sunt Succus Citri & Limonum, &c. Venenositas specificis alexipharmacis, inter quæ primas meritò tenet Castoreum, huic

succe-

succedunt spiritus Vini, Asa fœtida, Chinensium Thee, Theriaca, Piper, Mirrha &c. Narcosis tandem nimia mitigatur, non solùm leni Tostione, sed & iis omnibus, quæ vel Spiritus fixos liberant, vel halitus narcoticos obtundunt; Illa omnia sunt calida, hæc frigida: utraq; principio quodā Specifico Anti-Narcotico imbuta

§. 1. *Circa correctionem Opÿ magna est autorum dissensio. Nam 1. in ejus manifesta qualitate corrigenda frigiditatis defensores calidis, caliditatis contra frigidis eam mitigandam esse censent. Vtriq; excessum prætendunt, atq; sic contraria contrariis tollere volunt. Illi ut demonstrent veritatem suæ sententiæ, hos quoq; calidis, ut sunt Castoreum, Spir. Vini, Piper &c. Opium suum corrigere demonstrant. Miror demum (inquit* Freit. tr. de opio c. 5. p. m. 46.) *omnes narcoticam vim in frigiditate Opii negantes, eamq; ambiguè in calore pinguioris & Sulphureæ substantiæ aut occulta quadam qualitate ponentes, ad compositionem Opiatorum magnam calidorum syndromen recipere, nihilq; quod occultæ qualitati specifice opponatur, vel invenisse vel admiscuisse. Verum, non est quod miretur: Non enim calida ad compositionem Laudanorum recipiunt, quatenus sunt calida, sed quatenus vim quandam peculiarem obtinent, quæ venenositatem & nimiam Opÿ* νάρκωσιν *feliciter impugnant. Unde falsum etiam, eos nihil quod occultæ qualitati specifice opponatur vel invenisse vel admiscuisse. Porrò:* Freit. *ipse* L. cit. p. m. 44. *Acetum & acida calidas vaporosas & crassas opÿ portiones corrigere posse admittit. Jam verò, si frigiditas excederet, non video quid opus sit frigidis corrigentibus, cum Opÿ caliditas à frigiditate sic jam frenata sit, ut nulla ulteriori correctione indigeat.*

§. 2. *In venenositate verò corrigenda primum locum dedi Castoreo, & meritò; hoc enim quam maximè eandem im-*

pugnare omnes omninò consentiunt. *Hinc & à* Gvainerio de venen. c. 9. *Bezoar opij, ab* Avic. *verò* L. 2. canon. tract. 2. c. 526. p. m. 278 & L. 4. fen. 6. tract. 1. sum. 3. c. 1. p.m. 918. *Theriaca Opij jure salutatur.*

§. 3. *Addidi spiritum Vini, quem alij, quibus annumeratur* Hartm. in Croll. p. m. 309. & 313. *plane rejiciant; Alij, & rectius, commendant. Ego brevitatis studiosus concludo verbis* Winkl. *quæ* L. 3. s. 1. c. 2. p. m. 170. & 171. *habet, in quibus simul omnia contrariæ sententiæ argumenta proponuntur: Remaneat (inquit) gravis odor post extractionem, modo venenositas cum Spir. Vini maxima ex parte postmodum exhalet, vel diuturnâ infusione corrigatur, neq; enim totũ ♎ separari potest: Attenuetur etiam per Spir. Vini & potentius operetur, modo cordi & spiritibus non ampliùs ita sit contrarium; Intendat etiam vim narcoticam, neq; enim eandem extinguere mens est.*

§. 4 *Adjunxi præterea, tam Asam fœtidam, cum & eam* Avic. L. 4. fen. 6. tract. 1. sum. 3. c. 1. p. 918. *Theriacam Opij nominet. Quàm potionem Chinensium Thee dictam, quam* Bontius de medic. Indor. p. m. 97. *exsiccantis dicit esse qualitatis, ac somnum prohibere, dum vapores è ventriculo in cerebrum adscendentes absumit. Herbula unde hoc Thee conficitur, teste* Eodem L. cit. *bellidis sive consolidæ minoris folia refert, cum parvis in ambitu incisuris, hujus foliorum exsiccatorum manipulum in ferventem lebetem, ad hoc paratum, conjiciunt Indi, ac ad sufficiens tempus ebullire sinunt, quem liquorem, qui sapore subamarus est,, calidum sorbent.*

§. 5. *Porrò, ad vim Narcoticam mitigandam rectè commendavi Tostionem, non verò, ut* Quercet. *vult* Pharmac. dogmat restit. p. 658. *eo usq;, donec omnem ferè odorem amittat, & omninò siccum reddatur instar Aloës; hoc modo enim omne Sulphur aufertur, quo ablato, vis quoq; narcotica aufertur, quæ in Sulphure hærebat: Sed, ut rectè consentiente* Senn. Winkl.

& a-

& aliis Freit. c. 5. p. m. 47. *monet, magna hic adhibenda cautio, ne immodica ad nimiam siccitatem fiat tostio, qua vis hypnotica & anodyna omninò exspirat.*

§. 6. *Restat ut etiam pauca de Plateri correctione addantur, qui Opium solis odoratis corrigit. Ast, si odorata illa simul sint specificè contraria, ea obtundere concedo, sin minus, ea vim opÿ infringere posse nego.*

Plura de Correctione Opii genuina qui desiderat, adeat Quercet. Pharmac. dogmat. restit. c. 14. Senn. L. 2. pract. part. 7. c. 1. p. m. 296. & seqq. Barthol. Exerc. Phil. Medic. 7. probl. 2. Freit. tr. de Opio c. 5. Winkl. tr. de Opio L. 2. sect. 2. c. 2. artic. 5. p. m. 156. & L. 3. sect. 1. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Dœring. tr. de Opio. Hartm. tr. de Opio & alios.

XX.

Opio correcto Fermentatio accedat necessum est, qua omnia inter se miscentur, & corrigenda à corrigentibus debitè vincuntur.

XXI.

Dosis Laudani est à gr. 1, ad. gr. 3. pro diversitate scil. subjectorum & morborum.

Senn. *quidem* c. de vigiliis p. m. 235. & Minsicht. in armament. suo p. m. 71. & seqq. *ad gr. 6. usq; ascendunt; Verum, cum hæc dosis, si de vero intelligatur Opio, maximo cum periculo sit conjuncta, in minori potius subsistendum puto. Vel, quod tutißimum est, ut monet* Clariss. Dn. Præses *doses partiendæ, & post trium quatuorve horarum intervalla usus Laudani repetendus, sic enim quod primâ non expediebatur dosi, altera felicißimè succedit.*

XXII.

Usus ejus vel Primarius est vel Secundarius.

XXIII.

Primarius, Dolorem lenire & Somnum conciliare.

XXIV.

Secundarius, Naturam confortare, Frigidam intemperiem tollere, Humorum acrimoniam mitigare & incrassare, Eorundemq; motum inhibere &c.

§. 1. Est sane & circa Usum opij ac opiatorum magnum autorum dissidium. Alij illud tanquam præsentaneum venenum planè reijciunt, & ex medicorum agro planè eradicare conantur. Verum, recte Croll. Basil. Chym. p.m.315. *Mirum, inquit, atq; iterum mirum, cur à quibusdam sciolis Opii usus intra corpus formidetur, cum Laudanum Opiatum ab omnibus venenis & impuritatibus liberum sit, ut taceam præstantissima corrigentia admixta. Videatur etiam* Primeros. de vulgi Error. in Medic. L. 4. c. 44. p.m.209. *Alii omni ætati & cuicunq; morbo prodesse contendunt, ut videre est apud Minsichtum & alios. Ex aut cum Opio, inquit* Freit. c. 6. p. m. 53. *producuntur & comparantur Pharmaca, adversus omnes totius corporis morbos & symtomata. Et* p. m. 55. *Medicamenta Opiata ad omnis generis morbos usurpantur. Alii contra non omni ætati & cuicunq; affectui convenire docent; Panaceam, ait* Senn. L. 6. pract. part. 7. c. 1. p. m. 297. *in medicamentis Opiatis facere velle, & jactare Laudanũ, quocunq; etiam modo præparatum, omni ætati & cuiq; morbo convenire, Empirici potius est quam rationalis medici. Alii denique tantum externum ejus usum approbant, internum reijciunt.*

§. 2. Ego tertiam amplector sententiam, & tam internè quam externè adhibenda esse opiata volo, non tamen omni ætati, nec omni tempore, nec in quocunq; affectu, & *magna cũ circumspectione. Cum insignis sit tam ægrotantium quam circumstantiarum diversitas. Vide fusius hæc omnia tractantem* Cl. Senn. Freit. Doering. Winkl. Hartm. & alios.

Et hæc sunt quæ hac vice de Opio pro tenuitate ingenij mei proponere volui, debui, quæ ut à Lectore gratiosissimo æqui boniq; consulantur, humillimè rogo. In materia namq; tam ardua, in qua hactenus multi magni desudarunt viri,

Quod si digna tua minus est mea pagina laude,
At voluisse sat est.

T A N T V M.

.IX.18



863545 Bibliotheca 26.000,-
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06947